

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 5344

1169

## D O G M A T I C I.

1170

## CCCCCLXXXII.

U. 288 ad Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 192. f. per duas columnas charactere atro luculento maximam partem scriptus, et rubricis distinctus continet I. Petri Lombardi Sententiarum Libros duos Piores, praemisso Prologo, et Titulis Capitum non tantum I. et II. sed etiam III. Libri, ad quorum calcem etiam Capita IV. Libri in fine presentis Voluminis promittuntur, non tamen comparent. Textus multis Notis etiam inter lineas illustratus est.

II. fol. 177. p. 2. Sermo Augustini de Ebrietate vitanda. Init: *Licet propicio Deo (Christo) fratres karissimi credam vos &c.* Potius Caesarii, et ideo a Maurianis repositus in Append. T. V. col. 490.

III. fol. 179. p. 2. Augustinus de ebrietate vitanda. Sequitur Append. cit. col. 493. et ipse Caesarii. Incipit vero: *Frequenter caritatem vestram fratres karissimi paterna pietate ammonui &c.* Utterque integer in Codice.

IV. fol. 181. p. 2. Sequitur de Utilitate Matrimoniorum. Non sic inscriptus ab autore Augustino Liber, sed: *De Bono Conjugali.* Habetur edit. cit. T. VI. col. 319. et incipit: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars est &c.* Nihil deest.

V. fol. 187. p. 2. Incipit tractatus Sancti Jeronimi de essentia diuinitatis dei, et de inuisibilitate et eius immensitate quem fecisse se dicit in libro de viris illustribus.

Noli credere Librario; nihil enim dicit Hieronymus de Opusculo vago et pluribus adscripto, ut jam alibi hoc Vol. explicui. Init illud: *Omnipotens deus pater et filius et spiritus sanctus &c.* et habetur etiam Opp. Hier. edit. Vallars. T. XI. col. 138. inter Spuria.

VI. fol. 189. p. 2. Incipit tractatus Beati Bernhardi de quatuor gradibus spiritualis exercicij sue scala Claustralium. Initium: *Cum die quodam corporali manuum labore occupatus &c.* Jam dixi Bernardo subpositum hoc Vol. ad Exemplar italice versum. Extat interim edit. Maur. Bernb. Vol. II. T. V. col. 311.

## CCCCCLXXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 289 Folior. 211. f. scriptus, ut praecedens, cuius est Pars altera continens Sententiarum L. III. et IV. repetito Capitum L. III. Elencho, et suo etiam L. IV. praefixo Elencho. Uterque Liber notis stipatus est, et ad calcem quidem Tertiū habetur: *Hec feria 2<sup>a</sup> rogationum Anno &c. 32. ad calcem vero Quarti: Hec in die sancte Elisabeth Anno &c. 32. et sequenti die lecta.* Utique pro Scholis.

## CCCCCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1135 XIV. Folior. 85. 4. per duas columnas eleganter exaratus, rubricis enotatus, et prius Collegii Vienn. S. J. continet Librum IV. Sententiarum Petri Lombardi, prius